



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

V. deinde argumentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

& vulgo cognitus, ac versari solitus, testis citatur. Nam quis credat tantam esse potuisse eadem ac vastitatem, ut ne apud privatos quidem homines ulla servata sint Codicum facrorum exemplaria? non apud Ezechielem, vel Mardocheum? ne apud ipsum quidem Jeremiam, quem Nabuchodonosoris iussu Nabuzardan militiæ magister ab omni injuria tutum præstitit? Certum est igitur Esdram Libros sacros dissipatos collegisse, & instaurasse. Utcunque vero egregius fuerit iste labor, fructu tamen caruisset, nisi accessisset publica Synagogæ auctoritas, quæ recognovisset opus, & expensum comprobasset, ejusque usum populo concessisset. Quapropter non quasi Esdræ, sed quasi Synagogæ ipsius opus ab Eliâ Levitâ, aliisque Rabbiniis habitum est. Hinc Thalmudista capite primo Baba bathræ, vaticinia Ezechielis, librum Duodecim Prophetarum, Danielis, & Estheris libros, à viris Synagogæ Magnæ scriptos esse definiunt, quos ab aliis scriptos, ab Esdrâ collectos suffragio suo Synagogæ Magnæ firmavit. Memorabile habetur apud Josephum, libro primo contra Apionem, testimonium, quod omnino consuli velim. Gentilium enim suorum morem hunc esse ait, ut si qua ingruant bella, pace demum composita veteres Scripturæ à superstitionibus Sacerdotibus recognoscantur, pace demum composita veteres Scripturæ à superstitionibus Sacerdotibus recognoscantur, ac renoventur; nec unicuique de rebus sacris scripta in vulgus edere fas esse, sed Prophetis solum, qui Dei instinctu, & præterita, & præsentia sciunt: hinc duo solum ac viginti sacra Volumina, & ea sibi usquequaque consentanea gentem suam usurpare, veterem omnem anteaevi temporis memoriam complexa; à Mosis usque temporibus, ad Artaxerxis Longimani ætatem scripta; ab hac vero ætate singula fuisse relata in litteras, sed eandem quam superiora fidem minime esse consecuta. Ex his liquet post Babylonicæ bellæ ex more Judæorum instaurari debuisse Codices sacros, idque Sacerdotum superstitionum opera, qualis fuit Esdras; horam vero Librorum collectionem in Artaxerxe Longimano desisse: quod sane fieri non potuit, nisi per Canonem publicæ auctoritate conditum, quo qui non continerentur, pari exitumatione carerent.

deinde argu-
mentis.

V. Nunc si argumentis pugnatè libet, primum subministrat Septuaginta Senum Interpretatio, quam cum Ptolemæi Philadelphi cura elaboratam esse consentiant omnes, ante hæc tempora collectos esse Libros sacros, constatque jam eorum Canonem oportuit. Convulsam enim & obtritam reor eam sententiam, quæ Mosaicum duntaxat volumen à Septuaginta Interpretibus conversum fuisse fingit. Ab Israelitarum autem liberatione ad Philadelphum, nulla ejus condendi magis opportuna ac necessaria apparet occasio, quam post refarta ac recollecta sacra Volumina; nullus idoneior hujus operis auctor, quam Esdras. Quadragesimo præterea ac nono Ecclesiastici capite locum deprehendo, à nemine, opinor, adhuc observatum, unde vetustas Canonis præclare intelligitur. Nam cum sanctos plerisque viros Sirachides laudare institisset, in hisque Scriptores sacros fere omnes; postquam de Isaiâ, Jeremia, ac Ezechiele disseruit, tum servato Canonis Judaici ordine, qui tribus his Prophetis Minores Duodecim subjungit, hæc addit: *Et Duodecim Prophetarum ossa pallulente de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.* Quibus statim subjicit Zorobabelem, & Jesum Josedeciden, principes Synagogæ Magnæ: non obscure significans post Duodecim Prophetas Synagogam Magnam extitisse. Itaque in unum librum jam compacti erant hoc tempore Duodecim Prophetarum vaticinia. Librum hunc haud dubie significat Stephanus, cum hæc Amosi verba recitans: *Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas?* scripta esse diceret in libro Prophetarum. Atqui collectio hæc Duodecim Prophetarum, & in unum corpus conjunctio, non nisi in sacrorum Voluminum redintegratione facta credi potest; cum nonnulli è Prophetis illis Duodecim exiguo annorum intervallo Esdræ reditum præcesserint; fortasse & vitam ad id usque tempus produserint. Profecto antequam Scripturæ totius sacre conderetur Canon, singulorum Librorum partes componi simul, & in unum corpus conflari, ac velut suo sibi Canone determinari oportuit. Psalmorum numerum definiri, & in unum colligi volumen necesse fuit, priusquam in generalem Canonem conjicerentur. Factum id ab Esdrâ docent Auctor Synopsos & Hilarius, atque ita vulgo credi: nos ab Esdrâ & Synagogâ Magnâ factum diximus supra. Idem de libro Duodecim Prophetarum dictum velim. Inde est quod in Baba bathra docent Thalmudista, & post illos Abrabaniel, viros Magnæ Synagogæ Duodecim Prophetarum libros in unum volumen compegiisse. Porro Sirachiden Ptolemæi Epiphaniis coævum fuisse probavimus, unde efficitur vetustiorum hæc ætate Canonem fuisse. Atque inde idem ac superiori argumentatione colligimus, nullum videri aptius ejus conficiendi tempus, quam post recompositos Codices sanctos; neque ulli probabilius ejus confectionem adscribi posse, quam Esdræ. Ad hæc cum Rabbino-

Eccli. 49. 12.

Ag. 7. 42, 43.
Amos 5. 25, 26.

Hilar. Prolog. in
Psalm.

Abrab. Prefat.
in 12.

rum vulgatissima opinio sit, Scripturam sacram, quæ nullis sectionibus, interpunctionibus nullis ad illam diem distincta erat, sed veluti unico comprehensa versu tota simul coharebat, à Synagoga Magna, cujus Esdræ fuisse Scribam aiunt, in פְּרָשִׁיּוֹת, & in סְרָרִים, & in פְּטוּקִים, aliasque partes esse divisam, eandem quoque à Scribis, eorumque principe Esdra octodecim locis emendatam, quos Masorethæ numerant, & תְּקוּן סְפָרִים, ordinationem Scribarum, & תְּקוּן עֵרָא, ordinationem Esdræ appellant; cum priscos etiam Ebraicæ linguæ characteres hoc tempore Esdra auctore Assyrii mutatos esse Thalmudistæ affirmant in Tractatu Sanhedrin, doctique omnes assentiantur; quæ sine magni hujus Confessus auctoritate & consilio fieri haudquaquam potuisse manifestum est: quis credat tantum operæ ac studii in Scripturæ sacre characteribus mutandis, sectionibus determinandis, notandis sectionibus, distinguendis versibus posuisse Synagogam Magnam, ejusque velut mentem Esdræ; totos vero Libros ipsos neglexisse, deque eorum numero definiendo ac sanciendo minime cogitasse?

Tract. Sanh.
cap. 2.

VI. Id si obtinemus, quod nobis omnino concedendum est, jam liquet non alium quaerendum esse auctorem, quam Esdræ & Synagogam Magnam, additionum quorundam, quæ ad Librorum sacrorum connexionem, vel illustrationem hinc & inde sparsæ sunt. Cujusmodi sunt, quæ de Mosis morte ad calcem Pentateuchi addita legimus. Aliam præterea operam in Codicibus sacris exornandis ab hac Synagoga collocatam fuisse ratus est Grotius, ad inscriptiones nimirum ac lemmata libris Prophetarum præfixenda: quod ex titulo libri Amos apparere existimat, qui talis ipsis addita est: *Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecne, quæ vidit super Israël in diebus Osie regis Judæ, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israël, ante duos annos terræ motus.* Ego vero & inscriptiones à Prophetis ipsis arbitror fuisse appositas, neque video quid ex hoc titulo pro contraria parte effici possit. Nam post terræ motum scribere hoc potuit Amos ipse, & vaticinii tempus ex hoc casu denotare; vel quod potius reor, imminetentem terræ motum, pro sua vaticinandi facultate prævidere & prædicere potuit, quod & his capituli tertii verbis factum ab eo quidam Interpretes censent: *Et percutiam domum hyemalem cum domo esirva: & peribunt domus eburnæ, & dissipabuntur ades multe, dicit Dominus.* Huc adde in ipso vaticiniorum contextu ejusmodi inscriptiones occurrere, velut apud Zachariam, versu septimo primi capituli: *In die vicesima quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachia, filii Addo, Prophetam, dicens:* item initio septimi capituli. Plurima hujusmodi reperies in brevissimo Aggæi vaticinio, plurima & in illo Jeremiæ; nonnulla etiam in Isaia, Ezechiele & Daniele. Ea profecto quin ab ipsis Auctoribus profecta sint, minime dubitandum est. Id si evicero, quod negari non potest, jam una quoque evicero vaticiniis ipsis præfixas inscriptiones illarum confimiles, & prorsus germanas, eorundem quoque Auctorem esse, cum credibile non sit hos Auctores scriptionum suarum particulas his notis præmuniendas duxisse, tota vero opera ἀνετίθεσθαι & ἀνετίθεσθαι emittenda censuisse.

Disputatur
utrum inscrip-
tiones libris
Prophetarum
præfixæ à Sy-
nagoga ma-
gna, an à
Prophetis
ipsis addita
sint.
Grot. in Amos
1. 1.

Amos 1. 15.

VII. Cæterum operam Esdræ circa sancta Volumina, ac diligentiam imitatus Nehemias, priscos sacrarum scriptionum Codices conquisivit, magnam collegit antiquitatis memoriam, rerum à se, fortasse & ab aliis, gestarum commentarios ipse scripsit. Hæc sequuntur ex isto secundi Machabaici dicto: *Inferiebantur autem in desertionibus & commentariis Nehemie hæc eadem; & ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.* Quæ si ita sunt, ut certe sunt, Canonem haud dubie recognoverit Nehemias, & ex veterum exemplarium fide confirmaverit, Librumque demum, qui ejus nomine inscriptus est, quemadmodum suum Esdræ, in sacrum Canonem retulerit, atque hæc demum sanxerit auctoritate Magnæ ejusdem Synagogæ, ad quam unam librorum consecratio pertinebat. Quamobrem exemplari illo aureis literis descripto, quod ad Philadelphum Eleazarus Pontifex misit, Nehemiæ liber continebatur, ut pote qui cum reliquis Voluminibus sacris à Septuaginta Senibus interpretatione donatus sit. Post annos centum circiter & viginti, quam fieri id curavit Ptolemæus Philadelphus, Antiochi Epiphaniis furias passis Hierosolymis, direptisque ac incensis, sacrorum Librorum curam sumit Judas Machabæus, & qui per bellum intercederant, recollegit, Nehemianam Bibliothecam supplevit, deditque operam ne qua sui parte Canon imminueretur; pro eo ac fieri apud Judæos solitum fuisse scribit Josephus, ut post bella sanctos Libros Sacerdotes recenserent. Nam quid aliud sibi volunt ista, quæ in Epistola Hierosolymitanorum Judæorum ad Ægyptienfes Hellenistas nobis exhibet secundus Machabaicus; testimonio indidem proxime deprompto subnexa: *Similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.* Ipsi quippe Hellenistæ, ad quos

Nehemias &
Judæ Machabæi
Canonem reco-
gnoverunt &
confirmaverunt,
novum vero
Ecclesia
Christi edi-
dit.
2. Mach. 2. 13.

Joseph. lib. 7.
contr. Apion.

2. Mach. 2. 14.